



**Ars et modus inquirendi & damnandi quoscumque haereticos  
secundum consuetudinem Romanae Curiae, omnibus  
fidelibus praesertim haereticae pravitatis inquisitoribus scitu  
dignissimus, a solenni quodam magistro nostro fratre ordinis  
Praedicatorum compositus.**

<https://hdl.handle.net/1874/353230>

**ARS ET MO**

**DVS INQVIRENDI**

& damnandi quoscūq; hæreticos se-  
cundum consuetudinem Roma-  
næ curiæ, omnibus fidelibus

præsertim hæreticæ prauitatis inquisitoribus scitu di-  
gnissimus, a solenni quodā Magistro Nostro  
Fratre ordinis prædicatorū cōpositus,

**EPISTOLA PRIDEM**

missa a famoso viro magistro Ioanne

Eckio Theologiæ & Iuris do-

ctore ad R. Patrem fratrem

Iacobum Hoochstraet

magistrū nostrū & hæreticæ prauitatis inqui-  
sitorem cum quotationibus in mar-  
gine &c.

Cum gratia & priuilegio

OPUS ET MO

DVS INQVIRENDI

& dantur quocumque laetetur  
cunctis continentiam Roma  
ut curis omnibus fidelibus  
perferretur laetetur praxitate in quibus scribit  
Gulianus solent quod Magistro  
Tunc ordinis praedicti in copulans

EPISTOLA PRIDEM

illis in hoc vno magistro laetans  
Rudo Theologia & laetans de  
Gloria & laetans in laetans  
laetans in laetans  
magistro in laetans praxitate in laetans  
laetans in laetans in laetans  
Gue etc.

Cum gratia & privilegio



INCIPIT TRACTATVS DE ARTE

& modo inquirendi & damnandi hæreticos,  
secundū cōiētudinē Romanæ curiæ  
per quēdā eximium Magistrū no-  
strū de ordine predicatorum  
comportatus.



**Q**VONIAM omne multiplex indistinctum necessa-  
rio parit confusionem, Et erroris mater est æquiuoca-  
tio semper, Idcirco vt istam artem distinctius & subtri-  
lius & facilius possim enuciare, volo ipsam in regu-  
las distribuere faciles & facili ter memorabiles.

PRIMA.

**ANTE** omnia euocandus Spiritus sanctus, & orandum deuote  
pro gratia dei, vt actus ille inquirendi incipiat, proficiat, perfi-  
ciatur, non ex vana gloria, nec propter vanam gloriā, aut pecu-  
niam querendā. Sed ex amore dei & zelo veritatis, propter glo-  
riam dei, & honorem Sanctæ Sedis Apostolicæ, & pacem eccle-  
siæ catholicæ, ad suppressendos errores, & sedanda scandala, &  
turbationes fidelium.

SECUNDA.

**ISTA** intentione formata, quā impossibile est nō placere deo  
cum sit sanctissima & sincerissima, oportet firmiter credere &  
nullatenus dubitare, Quod Papā est impossibile errare, sed quic-  
quid dixerit, voluerit, disposuerit, hoc tanq̄ vocem Petri immo  
ipsius Christi oportet acceptare. Quod si quis in hoc veller du-  
bitare, aut rationem querere, ille iam de facto non inquisitor es-  
set, sed inquirendus tanq̄ certissime hæreticus. Et quia tota vis  
huius artis in hac regula iacet, ideo dignum duxi eam in expre-  
ssibiliter firmare.

**PRIMO.** Nisi esset vera & certa regula ista, nullus posset inq̄-  
ri & iudicari aut condēnari hæreticus in sancta Romana eccle-  
sia, Et hoc duabus rationibus. Prima. Quia Papa est lex anima-  
ta & viua in terris, ablata autem lege aut dubitata, iā nihil pos-  
set secundum eam iudicari & fieri. Ideo oportet esse certissimū  
Papam non errare. Secunda. Quia hæretici solent se textu scri-  
pturæ sacræ defendere, sed illa est litera & mortua lex, potens  
in multas falsas sententias trahi, sicut patet in multis glosis pa-  
sertim Hugonis Cardinalis nostri ordinis. Et sic fieret anguilla  
omnis hæreticus.

SECUNDO, probatur ista regula irrefra-

gabiliter

## ARS INQUIRENDI SEV

gabiliter. Quia si Papa posset errare, tunc etiā ecclesia posset errare, cum sit primum & summum ecclesie membrum. Si autem ecclesia posset errare, tunc etiam Christus posset errare, cū sit vna caro cū ecclesia, & duo in carne vna. Si autem Christus erraret, tūc etiam deus posset errare quod est impossibile, cum Christus sit deus. Vnde, & recte, Iuristæ dicunt quod Papa sit ecclesia ipsa iuxta illud Euangilii, Si te non audierit dic ecclesie idest prelati, quod si ecclesiam idest prelatū non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ex isto textu clare habetur quod Papa sit ecclesia, & qui eū non audit est sicut ethnicus. ¶ Ex quo sequitur quod potest etiā & debet occidi, quia ethnicos & Turcos iustus est occidi & debellari a Christianis. Ecce sic patet regula verissima.

Sed hic sunt duo argumenta videnda.

**PRIMUM.** Tamen sanctus Petrus sepius errauit, vt est in Euangelio, quando dominus eum Satanā vocauit, & alias, ergo Papa potest errare.

### RESPONDETUR.

Hoc est vna frasca & brocardicū argumentum. Nam tūc temporis nondum acceperat Spiritum sanctū, licet fuisset in gratia dei. Quia potest aliquis esse in gratia dei, non habendo Spiritū sanctum, vt alias habet videri per Magistros Nostros.

Si autē obiicis, Tamen Paulus eum reprehendit ad Galatas primo

### RESPONDETUR.

Hoc fuit veniale peccatum & dispensatio quædam piæ fraudis. Si rursus dicis, Non videtur Paulus pro re leui & veniali tantum facere, nisi fuisset periculum animarum ibi. Nam dicit, Veritate in Euangelii fuisse diuisam, hoc autem est Christum negare & infidelitate peccare.

### RESPONDETUR.

Sancti primitiue ecclesie fuerunt feruentes, ideo parua peccata tanq̄ maxima reprehendebant. Nam quod nos modo hæreticos occidimus & comburimus, tunc homicidium reputassent, cū tamen nostro tempore, si recta sit intentio, nō tantū sit sine peccato, sed etiam cum magno merito. Sicut reddere debitū matrimoniale, non sine peccato fieri illi dixissent, iuxta illud. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Sed de nostro sæculo etiā sine veniali peccato fieri potest, & est opus iustitiæ.

¶ **SECUNDVM** Argumentum. Cur ergo sancti patres suo tempore hæreticos cum scripturis sanctis expugnaverunt, & nobis id in



## DAMNANDI HAERETICOS

id in exemplum reliquerunt. **RESPONDET VR.** Hic alia est ratio temporis, Tūc enim ecclesia nōdum fuit firmata, nec fides satis roborata. Ideo necesse fuit cum scripturis sanctis contra hæreticos pugnare. Nunc autem oportet tanq̄ de firmata fide eos examinari. Ideo multo facilior est modus nostri temporis quam illorum. Nam ipsi laborauerūt & nos in eorum labores intrauimus.

### TERTIA

**NECESSE** est vt hæreticæ prauitatis inquisitor, & ipse quoq; certus sit sese non errare, nec ideo agere & inquirere quod velit audire & doceri aliquid, sed tantummodo docere & audiri, alioquin non inquisitor sed discipulus heretici esset, quod esset absurdissimum, quinetiam incertus esset quid agere vellet. Potest autem certus fieri ex tribus. Primo, ex intentione firma, iuxta regulam primam. Secundo, iuxta mentem inerrabilem Papæ, iuxta regulam secundam. Tertio, ex doctrina sancti Thomæ, quæ sola est igne Spiritus sancti examinata & purgata, & summi Philosophorum principis Aristotelis sententiis decorata. Nam impossibile est quod intentio illa erret, multo minus Papæ, maxime minus doctrina sancti Thomæ, in qua nisi esset bene fundatus inquisitor, nō esset dignus pulcherrimo isto officio & titulo. Quia solam scripturam sanctam scire vt dixi, posset illud per hæreticos scripturam variè interpretantes. Ideo certam oportet habere theologiam.

### QVARTA.

**QVANDO** itaq; pro tribunali sedet, tunc protestari oportet qđ deum solum ante oculos habeat, sic tamen vt paries vel murus aliquis inter oculos & deum sit, ne offendantur oculi eius a claritate dei, iuxta illud, Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria, vt sic cum sponsa possit dicere, En ipse stat post parietem. Hunc autem parietem intelligo, quod sit intentio quædam pia in animo Inquisitoris. Hæc autem est vt omnino sit sollicitus p̄ regenda confusione ordinis nostri, & non intendat desistere ab officio donec combustus sit cum confusione hereticus & sic ipse cū gloria totius ordinis officium suum laudabiliter expleuerit. Sic itaq; armatus armatura dei, inuadat diabolicos homines cū Psalmista dicens, Tabescere me fecit zelus meus, Et iterum, Perfecto odio oderam illos. Et nihil noceret si aliquo modo vocē exasperaret, & dentibus frenderet, aut certe caput cū amariuscularisu aliquo fiducialiter moueret, Vt sic diabolus terreretur, & hereticus magna fulmina futura timeret, si forte deus ei penitē



tiam daret. Nam oportet inquisitorem secundum apostolum cum omni patientia & modestia omnia experiri si possit animam lucrari deo. Post hoc, productis digitis enumeret sibi de digito in digitum, aliquid terribile simul insonans vel de igne vel alia poena, articulos de quibus examinandus est iuxta mentem Papae, & dicat, **CREDIS HOC AN NON.** Si credis, omnia tua reuocabis, Si non, combureris. ¶ Si autem haereticus voluerit respondere & allegare aliquem, vel scripturam sanctam, Pro hoc tene regulam quintam.

#### QVINTA.

**TVNC** dicendum est ei, Dilecte domine, non hic est tempus litigandi & disputandi, sed simpliciter respondendi an in ecclesiam sanctam catholicam credas. Dimitte doctores doctores esse ecclesiam audire necesse est. Illi possunt errare, ecclesia non potest errare. Et sic per regulam secundam fortiter est urgendus. Et semper aliquis risus fiducialis intermissendus, sic tamen ut non fiat cachinnus indecens. Nam cum grauitate & suauitate oportet hanc rem & multa maturitate tractare. ¶ Si autem haereticus ceperit alte clamare & doctores cum scripturis iactare, sese paratum respondere & rationem reddere suorum doctorum, petereque sese doceri & solui suas rationes vel authoritates. Tunc oportebit cum maxima diligentia curare ne circumstantes ista diutius audiant, ne forte misericordiam commoueat & iustam habere causam credat ab aliis. Quare hic summe necessaria est bona cautela quae traditur a regula sexta.

#### SEXTA.

**SCILICET,** Multo magis clametur, ac tumultus aliquis vel pedum strepitus excitetur, sicut Iudei fecerunt quando sanctum Stephanum volebant opprimere, ne audiretur. Nam etiam furor pro ecclesia dei meritorius est, maxime si ex praedicta intentione procedat. ¶ Simul quoque multis quaestionibus, iuxta Aristotelem in Elenchis, vexetur, ut in diuersa distractus, & in diuersos intentus, aliquid dicat quod possit iuuare. Nam oportet diabolum suis quoque artibus aliquem superare, nec semper in digito dei demonia eicere, sed malum malo pellere. Habet enim Euangelium suam epikeiam, nam inquisitor debet sperare quod comburetur haereticus omnino, ne cum confusione cesset ab officio. ¶ Bonum quoque esset, si ista non iuuarent, si mandaretur sub pena excommunicationis silentium ut sic inquisitor cum omni modestia omnibus audientibus possit sese resolvere & dicere, quod non intendat nisi salutem miserum haereticum, Et bene esset contentus ut suos doctores allegaret



allegaret, si primo responderet, an in ecclesiam crederet. Nam quid profunt omnes doctores, qui sunt pars ecclesiae, si totam ecclesiam non credat, praesertim caput eius scilicet Papam, Vt sic populus intelligat vere haereticum, quia ecclesiam non vult audire, & inquisitores esse iustos in proposito suo, quia tam sinceriter ecclesiam colunt.

## SEPTIMA

**SOLICITE** quoque statuendum est, vt inquisitores potissimum sint de ordine Praedicatorum. Nam illi habent magnam gratiam apud populum & antiquam famam quod sint docti & zelosi pro ecclesia catholica & Christiana fide. Ideo facilius possunt suspicionem populo facere contra haereticum, quam alii quicumque. **SECVNDO** etiam ideo, quia postquam ipsi multas pertulerunt confusiones eo fidelius & diligentius laborant, vt & alii confundantur & ipsi sic suam ignominiam alienae ignominiae consortio solentur.

## OCTAVA.

**SOLICITANDVM** est omnibus modis, vt & ante hunc actum & intra, etiam post actum, mittantur diuersi fratres in diuersas partes, praesertim ad Principes & Maiores populi, qui persuadeant hunc haereticum nolle ecclesiam audire, & hanc culpam multum dilatent, magnificent, exaggerent, & pertinaciam haeretici summis viribus detestentur, acculent etiam, despuant in terram iurent, pedibus ac manibus loquantur, vt sic principes prouocent ad indignationem, Pro inquisitoribus vero dicant, quanta modestia & charitate haereticum tractent, orent, fleant omniaque tentent. ¶ Expediret quoque si in praedicationibus publicis populus similiter irritaretur, & magnis commiserationibus super haereticum pro sancta ecclesia & fauore Inquisitorum (confessorum) concitaretur, ne postea murmur in populo relinqueretur (sicut sepius factum est) non fuisse haereticum, sed iniuriam ei factam. Nam hinc (quia neglecta fuit ista regula) venit, quod vsque hodie multi aperte confitentur Iohannem Hus & Hieronymum de Praga fuisse non conuictos, nec iuste combustos. Et probant hoc argumento. Quod postquam illi sunt combusti, ignis velut vltor in iuria, in meminem atrocium saeuit, quam in ordinem Praedicatorum, vnde sunt Inquisitores qui illos combusserunt. Et allegant illud sapientis, Per quae quis peccauit per haec & punitur. Sed stulti non intelligunt quod illis facta est iustitia, quia ecclesiam noluerunt audire, nisi autem fratribus iniuria, quia vulerunt audire Ecclesiam, & non fuerunt admissi, Ideo martyrio in caelo sine dubio coruscant



ARS INQVIRENDI SEV

ruscant: De quo latius aliquando vnum librum compilabo ,quo obstruam os loquentium iniqua, quem pro honore ecclesie & zelo fidei iam colligo

NONA

EST vna singularis, qua adhuc nullus tetigit qui de hac arte scripsit, quam ego multo labore & experientia inueni, est autem ista Quod quia multi surgunt qui antiquos doctores legunt & sanctum Thomam contemnunt & dicunt se inuenire, quod vocabulum ECCLESIAE SANCTAE nos nostris opinionibus non aliter praeteximus, quam olim falsae Phropheae nomine domini suis mendaciis praetexuerunt, & multos bonos Prophetas sub titulo nominis domini occiderunt, & populum seduxerunt, Ita nos sub nomine Ecclesiae dicunt nostra mendacia proponere, & non haereticorum combustores, sed sanctorum dei occisores criminantur nihil de ecclesia sancta nos nisi inanem titulum habere. Et infamissimi homines hanc sententiam propemodum cunctis Principibus & laicis persuaserunt, vt nos pro seductoribus populi & homicidis Christianorum passim iactitent, & plane pro Apostolis Antichristi habeant, dicentes se de hoc vno id colligere indicium, quod nunquam sacra literas, nunquam sanctos patres (iis enim ecclesiam constare aiunt) sed Aristotelem & opiniones hominum solummodo doceamus (iis enim Antichristus vtetur) o saecula, o mores, bone deus. etiam in sanctam Romanam Ecclesiam blasphemiam, quae Aristotelis studium & sanctum Thomam in suis opinionibus approbavit, Idcirco in isto actu non est similis punctus vti tite: Quare pro exequenda regula octaua mittendi sunt doctissimi & prudentissimi fratres, qui sciant persuadere hominibus, quod inquisitores non solum nomen ecclesiae, sed vere rem ipsam ecclesiae quaerant. Verum quomodo haec faciant, alio tempore scribam. Modo non occurrit aliud nisi quod iuret ad omnes sanctos & in conscientiam suam, se vere Ecclesiam sanctam intendere, & non nudum nomen pro nequitia suis praetendere,

DECIMA REGVLA

QVICQVID fiat aut non fiat, hoc ante omnia curandum, ne hereticus permittatur aliquid respondere, Nec examinetur in vilo puncto, nisi prius Ecclesiam sanctam promittat sequi. E in hoc habeatur respectus ad consuetudinem Romanae curiae, quae semper ita solita est facere. Nam in Tiberim proicit, aut alias occidit & perdit quicumque nolunt sequi sanctam dei & Apostolicam Ecclesiam, non attento quod velint stare iudicio, & reddere rationem (nec tamen in hoc manus suas vnum sanguine innocenti committant) Et iuste quidem ac recte. Quia si sic admitteretur, citius con



9

DAMNANDI HAERETICOS.

ius conuincerent, Papam & Sanctam Ecclesiam errare, quam ipsi  
 si conuincerentur, Non propter veritatem quam non habent, sed  
 propter multiloquium. Ideo saluberrimum est ut occidantur an-  
 tequam audiantur. Non enim audiri dignus est, qui non vult audire  
 Oportet ante esse discipulum & audire, quam magistrum & audi-  
 ri. ¶ Si autem ex gratia dei audierit, & Ecclesiam sanctam sequi  
 promiserit tum mox imponatur ei reuocatio. Nec est necesse ad  
 illa dicta respondere, Sed sufficit simpliciter dicere, SANCTA  
 ECCLESIA DAMNAT, praesertim Papa reprobatur omnia.  
 Et sic victus est haereticus, & anima lucrata, Et benedicatur de 9  
 ¶ Sin autem noluerit, sed omnino pertinax perseverauerit, tunc  
 iuxta Apostolum, Auferte malum de medio vestri, tradatur secu-  
 lari foro, & comburatur, sicut est moris atque stili Romani. Neque pro  
 eo oretur, neque mors eius commendetur, sed sit nomen eius ma-  
 ledictum, & omnia quae docuit.

SEQVITVR COROLARIVM, Quod isti quatuor fratres Prae-  
 dicatores in Berna sunt inique combusti, Quia fuerunt examina-  
 ti de puncto ad punctum, & sic defecerunt. Si autem primo fuis-  
 sent interrogati, sicut oportuit, & solum hoc quaesitum an crede-  
 rent in ecclesiam sanctam, bene fuissent liberati. Nam & Papa  
 iam decreuerat (etiam non accepta pecunia ut cauillantur) eos  
 liberare, quia ecclesiam sanctam confitebantur, Sed Helvecii isti  
 quia artem inquirendi nunquam studuerunt, omnia peruerterunt  
 & iniuriam eis fecerunt. At illi Bohemi Ioannes Hus & Hiero-  
 nymus recte & artificialiter fuerunt examinati, scilicet primo  
 an crederent Ecclesiam sanctam, nunquam autem de dictis suis ve-  
 ra ne essent an falsa. Sic si permisissent Principes Ioannem Reu-  
 chlein inquire de articulo tantum fidei in Ecclesiam, non solum  
 libri, sed etiam ipse fuisset combustus. Nunc quia de articulo  
 in articulum fuit examinatus, nihil mirum si cum gloria fuit li-  
 beratus. Nam ars inquirendi fuit cum eo non seruata, cum sit  
 impossibile aliquem conuinci si de articulo in articulum exami-  
 netur. Sed si examinatur quis an in ecclesiam credat, hic impos-  
 sibile est quod euadat. Tales sunt hodie quidam noui haeretici  
 in quadam vniuersitate noua, quam nolo nominare, quos spero  
 iuxta practicam huius artis examinandos. Et erit tandem glo-  
 ria Inquisitorum & totius ordinis Praedicatorum, maior, quod  
 tantos & tot combusserunt, quam fuit vnquam confusio quod  
 ipsi combusti sunt. Det deus cum salute, & cito Amen.



10  
ARS INQVIRENDI SEV  
C O N C L V I O  
F I N A L I S.

**I**N fine est vna quæstio, quæ a multis hinc inde mouet & est ista: Quomodo sancta ecclesia iam plus mille trecētis annis optime recta sit, & nullum tamen occiderit aut conbuserit, vsq; ad concilium Constantiense, & nunc regi non potest nisi comburendo hæreticos, cum tamen illo tempore innumerabiles fuerint in ecclesia hæretici, nunc autem nulli exceptis Bohemis, maxime cū Propheta Esaias (xi. & repetit. c. lxxv.) dicat de Ecclesia Christi, Non nocēbunt nec occident in vniuerso monte sancto meo.

R E S P O N D E O

**M**IROR tam indoctos esse homines qui ista quærant. Satis patet quod nihil in sancto Thoma studuerūt. ¶ Dico ergo quod solutio breuis est hæc. Quia tunc non fuerunt inquisitores hæreticæ prauitatis. Si enim tunc fuissent tunc Ecclesia bene purgata fuisset, hæreticis timore ignis coercitis. Sicut enim crescit veritas pro tempore & plus reuelatur, ita & purgatio Ecclesiæ crescit. Nam tunc temporis, quando in sacra scriptura studebāt, non fiebat tam subtilia ingenia, quia non habebant curam de Aristotele qui facit valde subtilia ingenia. Ideo si sanctus Hieronymus & Augusti. hodie viuerēt aut ipse Paulus Apostolus, credo vix euaderēt ignem. Tam excellētes sunt inquisitores in ingenis. Quod ego ex vno facto nouissime intelligo. Nam si inuenire poterant quod Ioannes Reuchlin erat hæreticus, quia dixit humanitatē Christi cōparari posse habitui laicali & meretricio, quomodo non inuenirent etiam Paulum Apostolum, quando non Christi humanitatem sed ipsum Christum dei filium dicit non maledicto & peccato velatum, sed maledictum & peccatum a deo ipso factum. Bene tibi Paule quod vixisti tempore illo quando non erant subtilia ista ingenia. Quare quisq; confydet ret subtilitatem & reuelationem nostri temporis & cito soluet omnes quæstiones.

**H**ANC igitur artem a me vtcunq; comportatam, bono & læto animo suscipite, qua instructi possitis pro honore sanctæ Ecclesiæ & zelo veritatis ad laudem & gloriam dei feliciter triumphare, & omnes hæreticos extirpare.

N A L E T E,





## EPISTOLA NO

tabilissimi viri & Magistri magistri  
Ioannis Eckii missa ex Lipsia  
ad famosum & reuerendum  
Patrem Fratrem Iaco  
bum Hoogstra-  
tesii. Magi  
stru

in Theologia nostrum &c. quam ille tanq̄  
preciosum thesaurum cordialissimis  
amicis cum magna gloria ostē-  
dit, quam etiam multi Iacos  
bitæ excopiaue-  
runt,



ALVTEM in domino Iesu, non te præterit Re-  
uerende pater, quomodo me hætenus opposue-  
rim temerariis hominibus Vvittenbergæ. Om-  
nes doctores, a CCCC annis, quantumuis sanctos  
& doctos contemnentibus, & multa falsa  
& erronea in populum seminantibus potissi-  
mum caput huius scandali per impressiones lin-  
guæ nostræ vulgum seducet, & inficit, nouissime disputaui-  
mus Lipsiæ, in frequentissimo auditorio doctissimorum virorū vbiq̄  
conuenientium, ybi (laus deo, honor & gloria) plurimum immi-  
nuta est eorum opinio, etiam apud vulgum, apud doctos vero  
pro maiori parte lapsa est. Audisses hominū temeritatem, quam  
ceci sunt & ad facinora imperterriti. Negat Luther Petrū fuisse  
principem apostolorum, negat obedientiam ecclesiasticam esse  
de iure diuino, sed humano cōsensu, vel imperatoris inductam  
negat super Petro edificatam ecclesiam, Super hanc petrā &c.  
Et dum ei Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium,  
Cyprianum, Chrysostomum, Leonem & Bernar. Super illo adducere  
cum Theophilo omnes negauit, absq̄ rubore, Et se vnum dixit,  
velle resistere mille, nullo alio fuitus, nisi quia Christus esset fun-  
damentum ecclesiæ, & aliud fundamentum nemo ponere potest.  
Quod dilui adducēs, & illud Apoca. xii. de Duodecim fundamē-  
tis, defendit Græcos etiam Schismaticos, etiā si nō sint sub obe-  
dientia Pape, adhuc saluari. De Bohemorū articulis, dixit ex ar-  
ticulis condemnatis in consilio Constanciensi aliquos esse Chri-  
stianissimos

Harratio  
rhetoricale  
disputatio-  
nis materiā  
enodans.

Chriso. no-  
ua orthogra-  
phia.  
Se fultus  
noua figura

stianissimos & euāgelicos quo vero mul-  
 tos terruit & discedere fecit, qui prius ei  
 fauebant. Dixit inter alia cum ei op-  
 ponerem, si primatus Pape esset solā de  
 iure humano, & consensu fidelium, vnde  
 veniret sibi habitus quem gereret, vnde  
 potestatem praedicandi haberet & con-  
 fessiones audiēdi parocianorum &c. Res-  
 pōdit se velle nullum esse ordinem mē-  
 dicantium pleraq; alia scandalosa & ab-  
 surda dixit quod consiliū quia essent ho-  
 mines possint errare, quod non probare  
 tur ex scriptura sacra, purgatorium esse  
 &c. vti videbitis legēdo disputationem  
 nostram, quia fidelissimis notariis ex scri-  
 pta est, verū in multis me obruerunt. Pri-  
 mum quia libros secum attulerant in qui-  
 bus erāt noti, & apportauerūt secum ad  
 locum disputationis, & ad illos statim ha-  
 buerunt recursum, imo ex libris legebāt  
 continuo cū magna eorum irrisione. Se-  
 cundo, quia disputationem semp habea-  
 bant in scriptis & postea conferebant do-  
 mi. Ego nūq̄ inspexi vnum verbum quo-  
 usq; finiretur disputatio. Tertio erāt eo-  
 rū plures quia ipsi doctores duo, Domi-  
 nus Langius Augustinianorum vicarius  
 Duo licēciatī Theologi, vn⁹ nepos Reu-  
 chlin multum arrogans, tres doctores Lu-  
 ris, Magistri plurimi. Qui & priuatim  
 & publice iuuabant etiā in ipso facto di-  
 sputationis. At ego solus equitate comi-  
 tatus astabā. Commisi ego fratribus tui  
 ordinis vt curent exemplar disputatiōis  
 exscribi, & ad te quam primum transmit-  
 tant. Quocirca precor per eū cui seruiō  
 & fidem quā dudū suscepisti grauiter de-  
 fendas, nō volo qđ te ingeras & te odio  
 sum facias & ordinē tuū. Sed me cōsiliis  
 tuis & eruditōe adiutes. Nam minus fe-  
 stinarunt Vyittenbergen, cum disputati

Argumentū dignū Ecclio  
 & fraterculis nēpe moro-  
 taton.

Hic vide qđ Luther scri-  
 bat cōclusionē xv. probās  
 esse purgatorium.  
 Propter tres causas an-  
 to: fuit obrutus.  
 Primo

Secundo

Ecclius bene fecit qđ fuit  
 sine libro: nam vñ versus.  
 Clericus in libro nō valet  
 oua duo.

Tertio  
 Nota qđ Ecclius nō fuit  
 arrogans sed nepos Reu-  
 chlyn.  
 Factum disputationis

Ecclius fuit solus equita-  
 te comitatus;

Nota qđ Bogstratesi. du-  
 dum fidē suscepit forte nō  
 dū est baptizatus.



In d. ind. parzi. v. 1558. Cav. 802 p. 55. Modus solennis et  
 authenticus ad inquirendum. — 200000 in D. v. An.  
 Plautz, 1590. 802 p. 43. — ~~liber~~ Sylvestris Sacras et  
 Wolf; Cist. memorabiles II p. 8.

Pamer. H. p. 121. n. 45.

Modus inquirendi hereticos ad usum Romanae Curiae  
 lecta dignissima, duodecim capitulis conclusis. Ad  
 Sylvestrum Sacras et Jac. Balthazatum Trappus Is.  
 ynnensis praefatus. 1599. 4.

non del. H. H. p. 20

Pamer. H. p. 186. n. 258.

Modus inquirendi hereticos ad usum Romanae Curiae  
 lecta dignissima. Duodecim capitulis conclusis.  
 Cum Carta Juramentis in fine. Scilicet Scholasticus  
 Sacras et Jac. Balthazatum Trappus Is.  
 ynnensis praefatus. 1599. 4.

Paul. Schenck.

Imprimatur in hunc finem

1711. 1712. 1713.

1714. 1715. 1716.

1717. 1718. 1719.

1720. 1721. 1722.

1723. 1724. 1725.